



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. De immensa magnitudine gloriæ animæ Christi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

II. *De immensa magnitudine gloria anime Christi Domini.*

I. **E**Xpende, quàm immensa, sublimis, & incomprehensibilis sit gloria, qua beatissima Christi Domini anima ab initio conceptionis frui cœpit in hac vitâ, æternumque fruetur in alterâ; quæ omnes perfectiones & prærogativas gloriæ essentialis, & accidentalis, omnibus & singulis beatis, hominibus & Angelis collatas, porroque conferendas eminentissimè in se complectitur, longissimeque supergreditur, tanto interuallo, quanto par est, præeminere in omnibus Filium Dei naturalem, filijs adoptiuis.

Isa. 64. Si ergò *oculus non vidit, Deus absque te, que præparasti expectanti te,* cuius etiã minimo Electorum; quæ primogenito Electorum præparâris, quis inuestigabit? quàm incomparabilis illa eius beatifica visio, quâ Deum, & in Deo videt omnia præterita, præsentia, futura supereminentissime! qualis ille amor beatificus, illud gaudium tali visioni correspondens? quàm supereminentes reliquæ accidentales gloriæ, tam immensæ eius gratiæ, & divinissimis virtutibus proportionatæ?
si præ-

si proinde æquum est cuius Sancto-
rum de adepta gloria congratulari, di-
uineque liberalitati pro ea collata gra-
tias & debitas laudes persolvere: quan-
to æquius est, id præstare, pro tam in-
comparabili gloria Sanctissimæ animæ
Saluatoris nostri collata? Congratu-
latio, gratiarum actio, & glorificatio
diuinæ Maiestatis.

II. Quanto stupore & gaudio omnes
Angelici spiritus, & cœtus iustorum
hanc tam ineffabilem gloriam glorio-
sissimæ animæ Christi suspexerint, ful-
gore eius perstricti profundissimè se
humiliarint, illi de tanta supereminē-
tia gloriæ congratulati sint, diuinæq;
maiestatis liberalitatem tantam lau-
darint, & glorificarint, idemque nunc
continuent & continuaturi sint, cum
saluandis omnibus, in omnem æterni-
tatē, idque eò intensius, 1. Quò cla-
rius sublimitatem gloriæ eius agnos-
cunt. 2. Quò ardentius Salvatorem
suum, sic glorificatum, amant. 3. Quò
maius gaudium ex beatitudine eius
percipiunt. 4. Quò zelosius Deum in-
finitè liberalem omni modo à se, om-
nibusque glorificari cupiunt. Affectus
ferè ijdem renouandi.

Bb 2

III. Quan-

III. Quanto humilitatis, gratitudinis, exultationis excessu Christus ipse, tantam gloriæ sibi collatæ supereminentiam sic à totâ cœlesti curia suspici extolliq; conspiciens, vt in vitâ mortali consueuerat, æterno Patri omnes sibi communicatas gratiæ & gloriæ prærogatiuas acceptas referat, illum auctorem omnium grato animo recognoscat, laudet, amet, & glorificet; simulq; ab omnibus sic eundem agnosci, laudari, amari & glorificari exoptet: idque eò eminentius, quò perfectius magnitudinem gloriæ suæ & diuinæ liberalitatis erga se perspicit: quò tenerius, & diuinius Patrem amat, & zelosius eius honorem præpagari desiderat. Zelus imitandi Christum in humilitate, gratitudine, amore & zelo gloriæ Dei in hac vita, vt continuare feliciter eisdem affectus merearis in futura.

III. *De immensa magnitudine beatitudinis gloriosi corporis Christi Domini.*

I. **E**Xpende, quàm immensa, sublimis & ineffabilis sit gloria & beatitudo glorificati corporis Christi, quàm omnes gloriosorum corporum, omnium vnquam glorificandorum dotes, cla-